

aut non attigisse saltem videretur. (a) *Provisor* itaque, ut ajunt, *officiis* praefectus anno M.D.LXXXIX. & M.D.XCI. (b) *Rationibus*, ut dicunt, *veteribus*; iis in magistratibus publicas res tractavit, ut suas, manus ab ipsis, ut ab alienis, abstinuit: ubi vero ex legum praescripto pecunia quaedam pro rata portione, ut fit, illi obveniebat ex iis, quae vel a tardis nominibus, vel ab aliis inflictae poenae nomine exiguntur, donabat lubens fere cunctis quidquid sibi obtigisset: cum veram virtutis vim esse diceret non solum illicitis, sed licitis etiam in rebus liberam se, & invictam praestare, nec ullo publico quaestu commisceri.

Sic virtutis commendatione verius, quam suffragiis elatus, cum novos semper honores, & majora praemia perpetuis in Rempublicam officiis suis promeretur, anno M.D.XCIII. prid. kal. (c) aprilis creatus est *IIIvir Advocator communis*: cujus ampla, & permagna Venetiis potestas, & dignitas, quippe cui universa prope Respublica permittitur. Jus ille dicit siue ex crimine causa constet falsi, perjurii, & eorum, quae vi, clam, ac dolo malo aguntur; siue ex controversia de iis, quae Princeps benemerentibus civibus clargi solet: Reorum quaestionibus praest, contra quos etiam apud XLviralia concilia causas agit. Ad eum provocant quicumque in Reipublicae ditione, atque in ipsa urbe judicia criminum, aut magnarum rerum contra se lata injusta, aut irrita arbitrantur. Collegia quotquot sunt in Republica, etiam sanctiora, ingreditur, atque egreditur, pro voluntatis arbitrio. Senatus consultis, & Xvirum decretis, legibus omnibus, cum libet, quasi tribunicia potestate intercedit. Quaeque *Auditor* civilibus in controversiis, eadem *Advocator* in criminibus jure suo agit. Quod autem peramplum, & honestissimum est, quaecumque judicem proprium habere non videntur, aut magnam quamdam auctoritatem praecipue requirunt, ad ipsos *IIIviros Advocatores* deferuntur, qui purpurea, vereque senatoria toga, incessu, & maiestate tantae Reipublicae decus, & publicam dignitatem sustinent, nec non praefecerunt. Ad hoc igitur munus praeclarissimum *Maurocenus* cum eximia eruditae facundiae laudem, firmissima latera, & gestum oris decorum attulisset, ex historiarum, & civilis doctrinae cognitione singularem orationibus gratiam, & venerem adjuungebat. (d) Quod vero summae prudentiae fuit, ingenitaeque probitatis, iniquioris causae nunquam defensor, tanto nativi sermonis candore Patrum animos demulcebat, ut eos in quam vellet partem facile pertraheret; quippe qui tam acri, quam solitus erat, oratione, quamvis non contenderet, auctoritate tamen ipsa vehementer promoveret, ac fide. Dicebat vero forensi stylo, copiose, ac dilucide, & lingua celeri admodum, ac volubili; sed partite, distincte, necnon verbis propriis - ut magnam eloquentiae suae famam egregie sustineret, & augeret in dies, ac majorem faceret; negotiumque nullum fere susciperet, quod non ad opta-

d 2

tum

(a) *Provisor officii* ) VIII. kal. quintil. anno 1589.

(b) *Rationibus veteribus* ) Idibus dec. 1591.

(c) *prid. kal. aprilis*, &c.) *Mauroceno* gravissimus hic magistratus demandatus est pridie kal. mart. non autem april. anno 1594. qui more Veneto adhuc erat 1593. Ita comitorum ejus anni commentarius.

(d) *Quod vero summae prudentiae*, &c.) Qualem se in hoc magistratu gesserit *Maurocenus*, declarat ejus laudator *Palazzollus*. „ Hunc magistratum, qui justitiae fundamentum est, „ sic administravit ac gessit, ut tam benignum, quam justum & probi, & improbi experirentur. Non illum illius argento hamus cepit: non opertus laqueus praeda irretivit: non dignitas, non munera illum, non dicam frangere, sed ne flectere unquam potuit a recto, &c. „

(a) *Fn-*